

cundum opera eius; quem et tu devita, valde enim restitit verbis nostris. Non autem ^{a)} hoc ^{a)} passim vel pro libitu faciendum est, sed cum grandi cautela et consilio metropolitani et vicinorum episcoporum. Sic enim beatus Gregorius dicit ¹⁾: *Tunc iusta est sententia presidentis, quando arbitrium interni sequitur iudicis.*

Eutitius. Cum his reniti non possit, cumque dixeris te in hac tua causa non pugnam, non sacramentum, non iudicium perquirere, quippe cum his egerent et incerta, te autem manifestorum iusticiam ^{b)} poscere, quam iusticiam ^{b)} in tuis manifestis expetas, intimato.

Theophilus. Iusticiam ^{c)} canonica auctoritate munitam, ut quibuscumque ecclesia iniuste nudata est, iusto ordine vestiatur. Cum autem suis spoliis vestita fuerit, legitimum spatium tractandi ei causam concedatur. Tunc qui iusticiam ^{c)} se ^{d)} habere ^{d)} putaverint, in conspectu regis et sanctorum sacerdotum virorumque sapientum ^{e)} causam suam dicant. Et quicumque in huiusmodi negotio, sicut iam supradictum est, gratia, odio, cupiditate et metu a recto scienter exorbitaverit, sciat se non in hominem, sed in Deum peccare, reumque se illius sacrilegii, quod deterius esse fornicatione, Pio episcopo auctore superius comprobatum est. Nonne vides ²⁾, quod seculares quęque personę, si rebus propriis expoliatę fuerint, si ad iudicium coguntur, his quibus exutę sunt, primo se revestiri clamabunt? Quod ergo non tam maioribus, quam etiam ^{f)} minoribus licet, sanctę ecclesię, quę mater est omnium, non licebit?

Eutitius. Iustissime liceret, si hoc humana iniusticia ^{g)} consentiret. Sed heu ^{h)} pro dolor! nobis iusticias ^{g)}, quantum possumus, perquirimus et iusticiam ^{g)} sanctę Dei ecclesię, quantum possumus, conculcamus. Unde video tuam superiorem sententiam veram esse, qua tales pronunciasti ⁱ⁾ ecclesię non esse filios, sed inimicos. In Saxonię autem ^{k)} et Germanię partibus quandam umbram iusticię ^{g)} in hac re adhuc reservari opinio est. Intronzato ^{l)} enim episcopo omnes quicumque ecclesię beneficia tenent, ante pedes episcopi intronzati ^{l)} ea deponunt in potestate episcopi, quem honorare antiquo beneficio vel

^{a)} hoc autem B. ^{b)} iustitiam C. ^{c)} iustitiam C. ^{d)} habere se B.
^{e)} sapientium B. ^{f)} über der Zeile nachgetragen A. ^{g)} t statt c C.
^{h)} e über der Zeile nachgetragen A. ⁱ⁾ t statt c B. ^{k)} Saxonię autem von jüngerer Hand unterstrichen A. ^{l)} inthr. C.

¹⁾ Homil. in Evangel. lib. II hom. 26 c. 6, Opp. 1, col. 1555 (Migne, PL. 76, 1200) (D).

²⁾ Vgl. Damasi papae c. 13, Decret. Pseudoisid. S. 503 (D).